

Jacob Fabricius    Nicolaus Prenger


## **Disputatio Anniversaria De Vertigine**

Rostochi[i]: Pedanus, [1620]

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74255922X>**

Druck    Freier  Zugang






F. J. 105  
F. J. ~~105~~. XXVIII

Ma-3835<sup>1-26</sup>

1008





DISPUTATIO  
ANNIVERSARIA  
DE  
VERTIGINE

PRÆSIDE  
IACOBO FABRICIO  
M. D. & Profess. Publ.

RESPONDENTE  
NICOLAO PRENGERO  
*Rostochiensis*

ad d. XVII. Maij anni cto Io c XX.

*Publicè in auditorio majore  
habita.*



Rostochi

Typis JOACHIMI PEDANI, Academ. Typographi.





VIRO MAGNIFICO,  
CLARISSIMO CONSULTISSIMO,  
Dn. ERNESTO  
COTHMANO,  
Cancellario & Consiliario Megapol. Jur.  
D. & Academiæ Rostoch. Professori primario,  
Domino Collegæ & amico meo  
honorando.

S. P. D.

**N**on noviter tantum, sed & olim  
veteribus homo dictus fuit *μικροκοσμος*,  
neq; id sine ratione. Etenim si rem peni-  
tius contemplerur, eadem propemodum  
datur gubernatio in homine, quæ visitur  
in circumfuso mundo. *Caput*, in quo habet suam mens  
quoque sedem, est cœli loco, idq; sphericum esse jussit  
rerum mundanarum primus & summus opifex, ut quia  
mens cognata est cœlo, ipsa quoq; suum in homine sor-  
tiatur cœlum, globosam nimirum & orbicularem figuram,  
quæ tamen ex utraq; parte leniter pressa sit & rotundata,  
ut interiorius spacium magis pateat, locusq; suppetat gene-  
rationi *cerebri*, & nobilissimis ejus actionibus; nervis  
quoq; quorum propagines in longitudinem inde deri-  
vantur & abeunt, aptus ac conveniens relinquatur de-  
scensus. Thoracem seu *microcosmici corporis medium*  
COR occupat, cujus nutu cuncta vivunt & conservan-  
tur: X

A 2

tur:



tur, non aliter ut *Sol* lucidissimus, in medio coelo, vivifico suo calore & coelesti virtute totam rerum naturam, atq; omnia, quæ in inferiore Mundo generantur, vegetat, fovet & ad destinatam maturitatem perducit. In infimo TERRA est, quam ABDOMEN refert seu venter inferior, ejus vi quæq; procreantur, augentur & aluntur. Quæ omnia hominem veluti collimitium aut horizontem corporeorum & incorporeorum, exemplar universi & compendium totius majoris mundi ostendunt. Neq; dabitur est huc Nazianzenum initio libri de hominis opificio respexisse quum scripsit, hominem post reliqua factum esse ideò, ut Deus in ipso breviter exprimeret, quod diffusè antea fecerat. Tam præclarè itaq; à nobiliss. artifice nobilissimum hoc creatum est opificium, ut ejuslibet rei cum illo collata præstantia nullo ducenda loco: ad eò speciosum elegans & decorum, ut nullum rebus tot dissimilibus instructissimum palatium elegantius cogitando depingi posse credatur. Sunt in magno mundo summa omnia, magnitudo molis vastissima, rerum diversissima diversitas, species magnificentissima, earumdemq; ornatus elegantissimus; adsunt deniq; necessaria omnia, quæ dici aut fingi possunt, minima, mediocria, maxima: Similiter in parvi hujus mundi systemate amabilissima, ubiq; spectatur pulcritudo, venustissimus partium universalium consensus & perfectissima absolutio. Sicuti verò in Macrocosmo varius ordo datur Corporum, & quæ supra Lunam versantur nobilitate inferioribus, ac minori corruptioni obnoxia habentur: ita in homine non æqualem omnes sortiuntur partes dignitatem, sed in extremo ponuntur, in quibus Facultas naturalis residet, de quâ sermonem instituens divinis. Plato in Timæo pronuntiavit, conditores nostros brutalem animam

mam in locis inferioribus tanquam ad præsepe collocasse,  
 ut ibi pascatur, neq; strepitu ac clamore suo ducem no-  
 strum à consueto deflectat munere. Iste verò Dux *Ratio-  
 nis* nomine dicitur, & ex CEREBRI sublimi aullâ, undiq; *calvariâ*  
 circumseptâ per sensuum fenestras (qui anti-  
 mæ veluti satellites sunt & internuncij) omnia concuerit,  
 & societate quadam ac similitudine cum Deo conjungi-  
 tur, parvus nimirum Deus in Parvo Mundo, ut ille ma-  
 gnus est Deus ac Dominus Dominorum, & Rex Regum  
 in Mundo ampliore: undè & cerebro famulantur cuncta,  
 ejusq; solius gratiâ totum corp<sup>s</sup> constructum est. Ei calo-  
 ris sine quo anima actiones exsequitur nullas, inserviunt  
 fontes duo, COR & HEPAR, in quorum primo vitæ ha-  
 bitat principium, pulsusq; & respiratio dum viget, vigent,  
 quum languet, languescunt, quum interit intereunt; scili-  
 cet in hoc viscere quasi focum esse oportuit, qui nativum  
 singularum partium calorem & vivificum succum conser-  
 varet, eumq; ne continuo effluxu exhauriretur, subindè  
 refocillaret. HEPAR officina sanguinis est, quem non tan-  
 tum per venas tanquam tubos in universam corporis  
 Rempublicam distribuit, sed & ut tantò magis præparetur,  
 cerebroq; inserviat, ad cordis sinus ac ventriculos diligen-  
 ter transmittit: sanè in hujus membri *ὄργανον* funda-  
 mentum facultatum vitalium & animalium situm est, &  
 contra in ejusdem *κατὰ ὄργανον* istarum omnium destructio.  
 Quid multis? Uti coelestia de suâ virtute & naturâ non  
 parum elementaribus communicant, coelumq; ipsum,  
 secundum Hermet. Trismegist. in rebus omnibus inferius  
 occultatur, uti superius extra res omnes apparet; utpote  
 cujus virtute plena sint omnia, nihilq;, dicente Penoto,  
 vacuum reperitur essentiæ ejusdem, nisi quod mortuum  
 est, neq; in viventium numero amplius memoratur: non  
 aliter singula membra ita comparata sunt, ut alterum alte-

ri non suam modò operam commodet, verum etiam in  
morbis quoq; compatiatur. A Capite tanquam coelo  
omnes virtutes virumq; facultates in reliqui corporis ar-  
tus atq; viscera per nervorū veluti canalium ductus deri-  
vantur, spirituumq; vitaliū ubertate adimplentur, ne quid  
de principibus Animæ potestatibus in illo residentibus  
quidpiam adjiciam. Quod si stellas errantes seu Plane-  
tas in Microcosmo intueri desideras, quis nescit Solis &  
Cordis maximam analogiam; ut enim ille vitam toti uni-  
verso subministrat, lumenq;: ita hoc itidem homini. Hu-  
mectam Lunæ vim Cerebri refert medulla; secur Joui, Pul-  
monibus Mercurius, Marti Ventriculus, Renes Veneri, Sa-  
turno Lien non malè confertur. Sic tota fabrica ossa  
cui rei aptius quam globo terrestri, universum velut alter  
Atlas sustinenti, eidemq; substrato æquiparabitur. Coete-  
ras insuper res omnes numero incomprehensibiles, ea-  
rumq; proprietates & virtutes, modo quodam impercepti-  
bili in se complectitur homo, ut inde velut è promo-con-  
do vicissim istarum cognitio & usus haberi possit; & for-  
tassis hæc est catena Homeri aurea, quâ cuncta cohærere,  
atq; uno spiritu duci regiç; conspiciuntur: inde viden-  
tur stirpium signa quædam exprimere lapides, in plantis  
apparent animalium effigies inscriptæ, animantibus homi-  
num figuræ, è lapidibus erumpunt herbæ, ex plantis oriun-  
tur vermes? Et quis demum omnes istas Naturæ recon-  
ditas operationes atq; effectus sufficienter exponet? Lu-  
bet tamen & ad *μικροσκόπῳ* Microcosmi mentem nostram  
brevissimè intendere. Ut enim in Magnò-Mundo vapo-  
res & exhalationes, Solis calore & Astrorum influxu, nec  
non propria ac internâ terræ caliditate excitati tam diver-  
sis & stupendis rebus, tum in aërea regione, tum in ipsis  
terræ penitralibus originem præbent: ita in homine simi-  
les halitus varia morborum & admiranda symptomatum  
genera,

genera, tam in ventre superiore, quam medio & imo pro-  
ducunt: Fulgores & conuscationes ignitas æmulantur  
rubræ oculorum suffusiones, & quæ indè emicant efful-  
gescentiæ: Tonitruum variam indolem varij repræsen-  
tant intestinorum rugitus & murmura, ructus item flatusq;  
Pluvias atq; imbres referunt in fauces, laryngem, ipsumq;  
pectus & alia viscera delabentes catarrhi: grandini co-  
acta & rotunda sputa, uti rori lacrumæ comparantur: Re-  
periuntur præterea non quidem ædificando sed destruen-  
do corpori, inibi rari calculi & lapides, qui fossilium ac  
mineralium gerunt similitudinem. Et ne de aurium sibilis  
ac tinnitibus, tamquam aëris tempestatibus dicam, certè  
ipsam VERTIGINEM à vaporibus suâ naturâ fluxis &  
mobilibus, sese Cerebri spiritibus illatebrantibus, eosq;  
horsum vorsum, tamquam ventorum impetu volventi-  
bus excitari, disputatione nostrâ probavimus. Ac reverâ,  
quemadmodum terræ cavitatibus conclusus spiritus, quo-  
ties multitudine coactus prorumpere tentat, & ob levitatē  
rectâ per supernas partes exitum molitur, neq; eum pro-  
pter interpositam terrenam opacitatem consequi valet,  
deorsum quoq; (quod ei id sit contra naturâ) remeare re-  
fugit, in orbem circumfertur, & rotundiformi motu cietur:  
Vel etiam uti terrestres exhalationes, quoties rectâ sursum  
contendentes objectu nubium impediuntur, ne contra  
naturam ad suæ originis locum redeant, circulariter ferun-  
tur per aërem, quem & commovent, unde ventus: eodem  
pacto flatulentus ac vaporosus ille halitus, quum plurimus  
intra cranium est collectus, nec sursum permeare potest, ad  
solidiores partes vel & ipsas meninges perveniens refle-  
xus convolvitur, & circumrotatur, sicq; unâ secum ani-  
malem spiritum, ab externis sensibus recepta gerentem,  
simulacra seu phantasmata sapiens, eundem in orbem  
commo-

commovent, ac impellit, ut in illis angustijs inclusus, partibusq; ventriculorum cerebri allisus in se motu circulari convertatur, ac Phantasie similem objectarum rerum & proprij corporis nonnunquam motus speciem exhibeat, nec secus ac ventus in angiportu turbinem, Vertiginem inducat. Et possem ego hoc accuratiore explicatione demonstrare, nisi in ipsis thesibus idem sufficienter factum arbitrarer: Possem etiam ulteriorem Microcosmi & Macrocosmi analogiam & comparisonem in singulis ferè utriusq; partibus instituere, nisi præfationis hujus leges illud vetarent. Cogitanti porrò cui hanc meam DE VERTIGINE Disputationem offerrem & dedicarem, tu vir Magnifice occurristi, qui me toties illustribus humanitatis atq; benivolentiæ officijs excitasti atq; animasti, ut ad amorem cultumq; tui jam pridem non potuerim non converti. Volui itaq; ne omninò ingratus viderer, vicissim meum erga te quoq; studium animiq; propensionem publicè proposito testimonio tibi comprobare. Et quamquam hoc serius à me præstari sciam, quam mea adversum te egregia voluntas patiatur, insuperq; intelligam, quam exiguum hoc sit, quod rependo, in spem tamen me erigit, quod de Dijs Pythagoras olim referebat, Cœlites non rerum copiam, sed offerentiū animos respicere; quamobrem quum non ignorem eam splendescere tecum virtutem, quæ non tam muneris exilitatem, quam intemeratæ mentis adfectum spectet, qualecunq; id tandem sit, non injucundum tibi fore mihi persuadeo, eoq; planè fretus vir Magnifice teq; tuosq; omnes ac singulos rectissimè valere animitus jubeo. Rostochio ex Museo meo anni Jul. M. DC. XX.

JACOBUS FABRICIUS.

ΣΥΝΘΕΩ.  
IACOBI FABRICII  
DISPUTATIO  
DE VERTIGINE.

THESIS I.



Apitis internæ adfectiones, sive  
sint indigenæ ac primariæ & propriæ, sive ad-  
venæ ac per consensum, variæ sunt & multi-  
plices; præterq; tamen nomen habent inditum  
à Symptomate, ac non incommodè in tres or-  
dines distribui possunt, sedibus adfectis distin-

ctos, quorum Primus membranarum est, quæ cerebrum vestiunt,  
Secundus substantiæ Cerebri, Tertius meatuum ac ductuum re-  
liquorum omnium.

2. Membranis aliquo adfectuum præter naturam obsessis  
existunt morbi, quos distinguit sensus dolorum, eorumq; locus,  
magnitudo, & vehementia, qualitas item ac duratio, ut Cepha-  
lalgia, Cephalæa, Hemicrania: Adfectâ & viciatâ substantiâ ac  
temperie Cerebri spirituumq; animalium, illæ læduntur actio-  
nes, quibus mens constat & ratio, quas Gal. appellat *ἔργα τῆς*  
*ψυχῆς καθ' ἑαυτὴν*, & sunt Phrenitis, Melancholia, Mania,  
Lethargus, Carus, Coma &c. fatuitas item & amentia, ac memo-  
ria abolita. In Cerebri meatibus & anfractibus, atq; derivatis  
inde nervis, venis item ac arterijs, reliquisq; foraminibus excre-  
mentoriam educendorum causâ comparatis, nascuntur tum  
alia, tum sensus & motus symptomata, ut sunt Vertigo, Epilepsia,  
Incubus.

3. Impræsentiarum duntaxat de VERTIGINE agere ani-  
mus est, in quâ ex falsâ imagine falsò creditur circumagi caput,  
A & ve-

& veluti spectris quibusdam visorum mendacium caligantes lu-  
duntur oculi; unde & ab accidente Latinis nomen sumpsit, quod  
repentinas gyrationes, vel & alios abnormes motus, interdum  
ad latus, interdum sursum vel deorsum, quibus etiam pavimen-  
tum cui insiditur inverte, vel & alio mutari modo putetur, visui  
ingerat, oculosq; ipsos interdum tenebris obruat non sine casus  
periculo.

4. Adfectus hic aliàs simplex est, aliàs mistus & compositus:  
quare vocum, quibus legitur expressus, multiplicitas, multis er-  
randi causam præbuit.

5. Quum simplex est; vel vapores circumvolvuntur, cumq;  
ijs simul spiritus; vel rectâ lineâ, aut confuso quodam titubatio-  
nis motu, quam palpitationem Avicenna vocat interpret Gen-  
tilis (unde & fluctuationem, quæ interdum sentitur, enasci veri-  
simile est) agitantur; sicq; in orbem ferri externa vel moveri vi-  
deatur omnia, cum quadam oculorum hebetatione, non tamen  
pereunte visu, nec concidente ægro: Græcis  $\delta\iota\upsilon\sigma\mu\alpha$  appellatur.  
Hippocrati nostro 17. 23. 31. aphoris. sect. 3.  $\dot{\iota}\lambda\iota\gamma\gamma\omega\sigma\mu\alpha$   $\lambda\acute{\alpha}\nu\omicron\tau\epsilon\ \dot{\iota}\lambda\iota\gamma\gamma\omega\sigma\mu\alpha$ ,  
quod Helych. exponitur  $\dot{\epsilon}\sigma\sigma\omega\tau\acute{\alpha}\sigma\mu\alpha$ ,  $\eta\ \delta\omicron\kappa\epsilon\acute{\iota}\nu\ \omega\pi\epsilon\dot{\iota}\phi\epsilon\rho\epsilon\alpha\sigma\mu\alpha$ ,  
 $\epsilon\upsilon\sigma\pi\omicron\phi\theta\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha$ ,  $\sigma\omicron\kappa\omicron\tau\acute{\alpha}\sigma\mu\alpha$ . Gal. 4. com. de vict. rat. in morb. acut. 42.  
Rhal. 1. continent. 3.

6. Quum mistus est adfectus, ad spirituum circumadionem  
protinus accedit quadam veluti tenebrarum suffusio, tanta saepe-  
numero, ut æger, nullo tamen plarumq; in oculis vicio conspi-  
cua, visu privetur, & nisi propinquis fulciatur adminiculis, cor-  
ruat, quare &  $\sigma\omicron\kappa\omicron\tau\acute{\alpha}\sigma\mu\alpha$  nominatur, quod in eo perturbatis  
& transversim motis Cerebri spiritibus omnia, nonnunquam  
etiam clausis oculis, circumagi apparent, cum visus obtene-  
bratione, & corporis ad terram dejectione. Galio Aureliano  
 $\omega\pi\omicron\lambda\omega\mu\alpha\lambda\iota\kappa\omicron\upsilon\sigma\mu\alpha$   $\pi\alpha\theta\omicron\sigma\mu\alpha$ , alijs  $\sigma\omicron\kappa\omicron\tau\acute{\alpha}\sigma\mu\alpha$ ,  $\eta\ \sigma\omicron\kappa\omicron\lambda\iota\sigma\mu\omicron\delta\omicron\varsigma$ , Barbaris Scoto-  
mia, quibusdam Tenebricosa vertigo dicitur.

7. Ita porro sese habent dicti adfectus, ut qui simplex est, sit  
compositi sive mixti rudimentum quoddam: quocirca Perfecta  
Vertigo, Ægineræ ingens dicta, ea intelligitur, quæ adjuncas ha-  
bet tenebras cum cadeandi metu: Imperfecta, in quâ tenebris mi-  
nimè

aimè offus tantum circumferri vel moveri videntur omnino,  
quasi hujus perfectio sit obtenebratio. Atq; hæc fuit causa,  
quare Græci atq; etiam Arabes, uno excepto Rhase, Tenebricolas  
duntaxat meminerint, ac Gal. 3. aph. 17. 3. loc. adf. c. 8, & Erotianus  
in Onomast. Hippocr. voces *σποσθινον* & *ἰλιγγιον* nō distinxerit;  
quod majoris & minoris tantum ratione differant, & aliàs per-  
fecti cura curam imperfecti includat: quæ & faciunt refellendæ  
opinionis statuentium tres diversas nomine & re ipsâ. Vertigi-  
nis species. Merc. lib. 1. c. 9. de morb. inter.

8. Cæterû in simplici Vertigine quiescentia moveri existimã-  
tur, adeo ut motio esse appareat, quæ tamen nulla est. siquidem  
res est immobilis & quiescit; species autem externorû sensibiliû,  
ob vaporû animalibus spiritibus permixtorû adscensum & transi-  
tû, non clarè figûtur, sed in Cerebro unâ cum ijs circumferuntur,  
sæpeq; juxta humorum, unde illi proveniunt, indolem, varios o-  
stendunt colores, & nonnunquam alienos, ut & ipsa rerum ima-  
gines tubere putentur, quæ revera sunt albæ. In perfectâ Verti-  
gine quasi luce ereptâ oculis tenebræ densissimæ offunduntur,  
& lucentissimo Sole, opaca caligo interno externoq; sensui, sive  
oculis obducta est, ægerq; quia non habet ubi gressus figat, nisi  
proxima fulcra apprehendat, concidit.

9. Ex quibus colligimus adfectus hujus rationem & naturam  
in eo consistere, ut vel quæ non sunt esse, vel quæ sunt, non  
quomodo sunt, videantur; quare neq; dubium erit vertiginem  
symptoma esse in genere æctionum læsarum, quumq; actio sit ali-  
cujus Facultatis, à quâ sit, eâ læsâ hanc quoq; lædi, vel quod  
depraveretur, vel quod imminuatur, vel quod aboleatur, est  
necessè.

10. Sed quænam illa Facultas? Animalis certè, & tam quæ  
ad sensum, quam quæ ad motum pertinet. Facultas sentiens  
interna triplex est; Imaginatrix, Ratiocinatrix & Memoria.  
Posteriores plerumq; integræ manent. Recordantur enim o-  
mnium ægri, & sese in Imaginatione tali decipi sciunt. Læde-  
tur itaq; principaliter Imaginatrix, cui ex proprio munere in-  
cumbit formas atq; imagines rerum, quæ à sensibus externis  
haustæ in internum appellunt, excipere, continere, & recon-  
dere.



X  
dere. Similiter ex sensibus externis, integris' ut plurimum cæ-  
teris, sola visio adficitur, vel quia debilitatur, ut contingit in ijs  
qui referunt se videre objecta sensibilia, vel potius visibilia, per  
telam quandam araneæ; vel depravatur, quando æger existimat  
sibi objecta in gyrum volvi; vel aufertur, ut quibus visio ex toto  
tollitur, quales vertigine ingruente nihil prorsus vident, quæ  
& propriè tenebriosa dicitur. Quantum ad Facultatem Motri-  
eem attinet, eam viciari non est dubium, quoties æger vel cor-  
pus habet propensum ad caelum, vel & in terram corruit.

II. Quibus ita positis VERTIGINEM dicimus deprava-  
tam conversionis Imaginationem, ex flatulento vapore cerebri  
ventriculos coarctante, & spiritus animales speciebus visibili-  
bus insignitos inordinate movente, natam, quam visus obscura-  
tio & interdum voluntarij motus læsio insequitur.

12. Pars adfecta seu subjectum potissimum est pars antica  
Cerebri, & quæ in ea sunt vasa ac cavitates, quos ventriculos di-  
cunt, sensuum exteriorum organis propiores: quaque & reliquis  
postea sinibus malè diutius perseverans communicetur, ita ut  
& cæteri hebescant sensus, motusq; proæreticus depravetur.  
Ægineta c. 12. lib. 3.

13. Causa conjuncta & efficiens proxima hujus depravatae  
functionis est inordinatus motus spirituum animalium in Cere-  
bro, qui quam non tantum vim sentiendi externis sensibus tri-  
buant, verum etiam eorum objecta ad sensum interiorum defe-  
rant, sit ut ijs motis, qui inest oculis, visus spiritus simul cir-  
cūvolvatur, indeq; rerum extrinsecus objectarum imagines, seu  
species visibiles unà in orbem torqueantur, & ab imaginatione  
eodem, quo ipsimet spiritus moventur, motu percipiuntur.

14. Quandoquidem verò symptomata morborum effecta  
dicantur, necesse est & VERTIGINEM ab aliquo morbo,  
vel immediate, vel mediantibus alijs symptomatibus, depende-  
re. Atqui morbus omnis aut est Similaris seu Intemperies, aut  
Organicus organicam dispositionem lædens, aut Communis, sive  
continui solutio. Sed Vertiginis causam non esse Intemperie ne-  
mo negabit, qui didicit principes animæ functiones non esse simi-  
lares, nec earum læsiones ad morbos similes referri posse: Ima-  
ginatio autem ex his est functionibus, & læditur in Vertigine.

Acce-

Accedit quod motionis inordinatæ ac perturbatæ causa sit quidpiam, quod perturbatè & inordinatè moveat: Atqui ut ordinatæ spirituum motionis causa non est temperies, sic nec inordinatæ causa erit Intemperies. Deniquè Cerebro benè temperato sæpè hominem corripit vertigo, ut vel hinc liqueat, Intemperiem non posse esse Vertiginis causam.

15. Similiter nec ad Communem morbum, seu Continuatæ solutionem referri posse clarum est; Luxationes enim & fracturæ, utpote solis ossibus dicatæ, cerebro non competunt; sicuti & ex tumorum genere scirrhus perfectus: Reliquis item tumoribus, ut & ulceribus ac vulneribus tribui non posse, præterquam quod omnibus palàm sit, ipsa curatio ostendit, non consolidantibus, glutinantibus, aut epuloticis; sed discutientibus, alijsq; tum morbo, tum cerebro ipsi convenientibus utens medicamentis.

16. Unde reliquitur quod sit morbus Organicus; cuius quatuor sunt differentiæ, una Numeri, altera Magnitudinis, tertia Situs, quarta Conformationis, ad quam pertinent Figura, Meatus, Lavitas & Asperitas. Magnitudinis & Figuræ, quemadmodum etiam à Lavitate & Asperitate enata vicia Vertiginem inducere nequeunt; & quamvis sint, qui eam in viciatâ *vis* spirituum animalium, ex inordinatâ illorum impulsione, à causâ internâ vel externâ factâ, collocent, vel & morbum in Numero asseverent: adversus tamen eos rigidissimè disputare animus non est, suam cuiq; liberam linquentes sententiam, rationes potiores semper sequemur.

17. Quandoquidem verò constat flatulentorum spirituum copiosas cavitates & meatus Cerebri in Vertigine infarctos esse & obstructos, dubium non erit, quin illa ab obstructione, morbo meatum proprio, quem dicunt in viâ, quod eo viarum libertas adimatur, oriatur & existat: neq; tamen istam integram & totalem statuimus, sed tantam & talem, quæ nata est fieri à vapore, qui ob sui tenuitatem facile dissipatur, cedit, ac dissipatur; licet etiam pro ut ille magis vel minus quantitate aut qualitate peccet, vehementiorem vel remissiorem inducat adfectum.

18. Quibus explicatis ad ulteriorè Antecedentiû Causarû disquisitionem

fritionem progredimur, in quibus enumerandis Medici varij  
sunt: Galen. c. 8. lib. de loc. aff. 3. ad calidum vaporem referre  
videtur, quem & sequitur Aetius. Paulus in frigidos & siccos  
vapores, item in frigidam materiam conjicit, quod & antea fe-  
cit Hipp. in Aphorif. Senes ob pituitam Vertigine tentari, idq;  
imprimis hieme scribens: Rhases utramq; causam attingit; in  
qua sententiâ & Mercatum fuisse constat, quando universam  
mali hujus naturam ad frigidam aliquando, & aliàs ad calidam  
intemperamentum reducit. Et hinc sunt qui putant ab omnium  
humorum dominio eam nasci posse, dummodo ab ijs exhalatio  
attollatur, quæ spiritui animali, speciebus imprimis visibilibus  
insignito, quam in nervum opticum detruditur immixta, illum  
variè moveat, inq; orbem circumducatur, atq; ideò Imaginatio-  
nem cum falsâ motus specie sensationes adprehendere cogat.

19. Quam sententiam & nos amplectimur, imprimis si & adfit  
Suscipientis præparatio, hoc est, Cerebri quædam infirmitas, &  
ad eam adfectionem dispositio, quod isto modo adfecti aliàs à  
parvâ etiam & levi occasione Vertiginosi fiant, & in terram  
nonnunquam concidant, nisi aliquo proximo fulciantur admi-  
niculo: id quod maxumè accidit, si in circulum agantur, vel &  
hominem rotari, si undas, si trochum, molam, aut simile quid-  
quam convolvi viderint: quippe visivus spiritus ijs, quæ circum-  
ducuntur, intentus, unâ cum ijs circumducitur, putatq; falsò  
omnia circumagi, non aliter ut lingua amaritudine adfecta etiam  
dulcia judicat amara. Neq; hinc nisi verbis absunt Chymiatriæ  
professores, qui Vertiginis generationem ad fumos nebulosos,  
ex resinosis, tartareis, aut sulphureis in corpore humano conten-  
tis, salis tamen armoniaci acris, pungentis & maligni experti-  
bus, succis, in caput, & Cerebrum sublatis, spiritusq; animales  
subagitantibus & turbantes referunt. Paracels. I. de morb. caduc.  
Petrus Severin. in Idea. Croll. de intern. rerû Signatur. Quercet.  
in Tetrade. Petrus in Nosolog. harmon. ut propterea frustrâ  
fuisse hætenus pertinacissimas lites & factiones inter Medicos  
quosdam appareat.

20. Coeterum spiritus iste vaporosus, vel suam in ipso Cere-  
bro habet generationem, & inducit propriam ac primigeniam:  
vel aliunde ex partibus subjectis in Cerebrum mittitur, facitq;

PEL

per Consensum vertiginem. Gal. sent. 4a. sect. 4. de vict.  
rat. in morb. acut.

21. Localis in Cerebro generationis vaporum, seu indigena  
caussa est illius vel intemperies, eaq; vel frigida, quæ ex Gal. ad  
aph. 31. sect. 3. cruditatum proventum faciens, multos flatus &  
excrementa congerit: vel calida, quæ humores dissolvens vapo-  
res gignit, genitos commover: vel cacochymia, aut alia parti-  
cularis repletio, qualem se ab aquâ, Cerebri anfractus & ven-  
ticulos replente, inque ijs fluctuante, observasse asserit Platerus  
c. 7. tractat. prim. prax. & lib. 1. obser.

22. Advena Vertiginis causa est anadrome symptomatica,  
vel critica sanguinis in febre acuta; vel vapor fumidus infernè  
sursum translatus; quod fit vel à toto corpore, vel à parte ali-  
qua subjectâ.

23. A toto febre implicito, vel febris experte. Corpore to-  
to febre correpto, fit à calidis ut plurimum vaporibus sanguinis  
calidi & biliosi ubertim ferocientis, ut si in tertianis per venas  
jugulares & arterias Carotidas spiritus vaporosus & calidus in  
Cerebri Ventriculos se effuderit; (Nonnunquam tamen frigi-  
dus halitus, à toto febre fatigato, Cerebrum ferit, in pituitosis  
febris.) A toto febris experte proficiscitur, si copia fuerit a-  
cerrimi, fervidi, & spirituosissimi sanguinis, in bilioso Corporis ha-  
bitu, unde per venas & arterias caput repletur, maximè corde  
fervidiore.

24. Inter verò partes infernas, è quibus ad caput feruntur  
flatulenti spiritus, sunt pulmones æstu incandescentes, & Cor,  
ipsum veluti flagrans: deinde Ventriculus malè adfectus, à quo  
sæpè vertigo initium sortitur: demum Lien, Epar, Uterus, to-  
tumq; adeò hypochondrium foedatum: non rarò quoq; exurgit  
à vasis spermaticis ex retento & corrupto semine; uti & à Lum-  
bricis, vel ulcere sordido intestinorum aut eorundem abscessu,  
scribente Foresto lib. x. obs. 43. Deniq; & ab hæmorrhoidibus,  
aut mensibus suppressis, inq; venoso genere superfluo luxuri-  
ante sanguine. In istis autem partibus vel coacervatur humor,  
unde eructatur fumus; vel aliunde influit, ut bilis in Ventricu-  
lū à calido epate; vel à cibis nascitur corruptis, quæ in nimirū se-  
cerni:

cernitur vapor, non excernitur, seu in flatulentum spiritum sol-  
vitur humor, ut quibus cruditas molesta.

25. Neq; vero tantum ab internis visceribus, verum etiã ab  
extremis artubus, uti cruribus, Vertiginem contigisse, sunt qui ob-  
servarunt, quod dubium esse non debet, qui longè graviores  
adfectum, Epilepsiam nimirum inde excitatam audiverunt, vi-  
rulentã in Cerebrum translata qualitate. Quò & respexisse Avi-  
cennam verissimile est, dum Vertiginem ex inedia inferri adse-  
ruit; ut & ipse non semel observavi. Velut enim ex vulnere capi-  
tis ventriculus in contagionem ducitur, ut bilem evomat; ita  
cum nimia fame fatigatur os illius, oboritur vertigo; non quod  
semper transferatur materia in caput, sed ob nervorum, qui re-  
punt per ejus orificium, cum Cerebro cognationem.

26. Fernelius c. 3. l. 5. de part. morb. & sympt. de quodam  
cui ab occipitio vertigo exoriebatur scribit; Huic pars in occipi-  
te minima dolebat, quæ si blandissimè attingeretur, cõcitus hu-  
mor vaporè in sensus omnes expirabat, quo protenus offusi te-  
nebantur. Cui casui non absimilis observatus apud nos in illo, qui  
ex deute caniao dextro, fortè ab inspiratu aëris refrigerato, aut  
ex superiore labro inopinatò tacto, quamvis viciosi nihil partes  
istæ ostenderent, vertiginem incurrebat. Similiter arteriæ &  
venæ universo per Cerebrum ductu coalitæ, induratæ & gland-  
ulis distinctæ vertiginem producant, quod Plater. in quodam  
Mercatore multos annos huic malo obnoxio, qui nec ambulare  
nec è lecto surgere, quin corueret, poterat, animadvertit.

27. Enumeratas autem istas internas movere solent. Externæ  
causæ, inq; accessionem deferre laborantes: Harumque aliæ,  
quietos spiritus animales ipsæ per se impellunt, motumq; cient  
inordinatum, ut capitis ictus, undoso quasi motu spiritus ani-  
males percellens, aut ex cranij contusione vel fracturâ cerebrum  
anterius comprimens, quorsum & dorsi, ob consensum medul-  
læ spinalis cum cerebro, percussio refertur. Aliæ humores subi-  
tò fundunt, inq; vapores seu flatulentos spiritus dissolvunt, ut  
aëris subitæ mutationes, austrinæ item & hibernæ ejusdem con-  
stitutiones, mora sub sole: usus alimentorum flatulentorum,  
ventriculi cruditas & crapula, assiduum & pertinax studium, ira-  
vehē

vehementior, vigiliarum continuas, longus & à cibo statim in-  
tus somnus, nimius corporis motus repleto corpore, sicut &  
balneum à pastu: Corporis immoderata purgatio humores uti-  
les quoq; colligans: inspectio gyranium & rerum profunda-  
rum: ex quibus & nonnullæ, si vehementiores aut diuturniores  
sint, sanos turbare possunt: Quo pertinent & venus nimia, vini  
meracioris usus, item leguminum & pistaciorum omnium: O-  
pium quoq; & lolium, Cerebri facultates, ita hebetare & tarda-  
re scribitur, ut flatibus & humoribus irruentibus nequaquam re-  
sistere valeat.

28. Differentiæ hujus adfectionis tot sunt, quot causæ ac di-  
versæ partes, unde inferitur: Hinc alia simplex, alia composita;  
alia per essentiam & primario cerebri adfectu, alia per consen-  
sum: alia recens, alia vetusta: alia frequens, alia rara, in aliâ de-  
niq; malum ita ingravescit, ut ex validâ & citâ vaporum agita-  
tione spiritus animalis voluntarij motus organa prætervolet,  
qualis Epilepsiæ prænumcia esse consuevit, à quâ tamen differ-  
tum materiâ, quæ in Epilepsiâ actis est vapor & sæpè malignus:  
in Vertigine interdum tenuis & fervidus, interdum crassus &  
caliginosus, qui & visui obest, præcipuè si in opticum transfera-  
tur: tum symptomatibus, quippe Verrigo sine strepitu sit, sine  
clamore, sine ullâ convulsione, sine perfectâ sensus & motus pri-  
vatione; in Epilepsiâ verò sensus omnes oblæduntur, spasmus æ-  
grum ejusq; os spuma occupat, qui & semper in terram cadit:  
A suffusione, quam cum tenebrosâ vertigine multi confun-  
dunt, distinguitur, quod ista in oculo aut nervo optico suam  
tantum causam & sedem habeat, nequaquam in cerebro, ubi  
proprius vertiginis est locus, ut læsa ostendit imaginatio: à Cepha-  
læa differt dolore, qui in vertigine non reperitur, quamvis u-  
trimq; fumi, nubeculæ, culices, muscæ, aut similia spectra ante  
oculos interdum volitare videantur, sæpè quoq; adfit quædam  
oculorum obtenebratio.

29. Sed tempestivum est, ut de signis agamus, quorum quæ-  
dam Diagnostica, quædam Prognostica. Illa cognitu sunt facili-  
ma; quippe laborantes omnia putant circumvolvi, si simplice ver-  
tiginis corripiantur: Quod si & oculi sublædantur, accedit insu-

B

per

per tenebrositas; sicut cum motivi spiritus adficiuntur, titubatio, inconstantia, & graduum claudicatio, ita ut in terram, nisi fulciantur, corruant.

30. Quandoquidem autem una est primaria, è peculiari Cerebri vicio, altera per consensum, suis eujusq; causæ morbificæ & partis ægræ notis, quas Medicus investigare debet, utraq; erit discernenda; quod fiet observando formam mali, partem unde dimanat vapor, & vaporis naturam.

31. Primariam præcedit gravans Capitis dolor, oculorum, hebetudo, tinnitus aurium, olfactus, nonnunquam auditus, aut alterius sensus, qui à capite initium ducit, sensim oblædens depravatio, perdurat ac continenter affligit, leviq; ex causâ exacerbatur. Gal. ex Archigene. c. 8. lib. 3. loc. adf.

32. Quæ per *ovum dicitur* genita est vertigo, cognoscitur ex signis & peculiaribus symptomatis ejus partis, à quâ consensus demandatur; ut si à toto & impuro corpore venit, his cerebrum est infirmum, & pepleos tempore insurgit malum, uti & cum à somno ambulant: Urina illis tenuis, pauca, dura alvus; color cutis totius humori redundanti similis, corpus torpet, & citra manifestam causam lassitudine vel segnitie premitur. Si irreat vapor per arterias & venas, quæ foris sunt, sentitur ipsarum tensio, & tumor major solito, neq; tantum capitis, sed totius corporis vehemens pulsatio, ac quæ in temporibus maxime est adspectabilis: Si per internas, intus sentitur tensio & pulsio; si per nervos, dolet collum totum, quod & à mesenterio fieri docet Arculanus.

33. Si à parte aliqua eructet halitus in caput, ejus exacerbata à noxa manifesta sit vertigo, quæ delimita etiam placatur; quare abire reditq;, nec continuo aut assiduo adfligit, sed per circuitus quosdam, quum vapor ex humore vi caloris expressus & impulsus atq; agitatus, vel eodem calore, vel motu aliquo quærit exitum, quem non inveniens, eum repulsus, convolvitur in sese, & illâ conglomeratione sui atq; gyratione agitatur vicissim & turbat spiritus animales, quorum inæqualis agitatio & rotatio phantasia quoq; similem rerum externarum, & proprii nonnunquam corporis motus speciem exhibet, ac vertiginem inducit; ad.

adquam generandam ipsa etiam loci figura sphaerica non parum  
juvare potest.

34. Si à ventriculo oboriatur, praecedit illius commotio,  
nausea, anorexia seu inappetentia, amaror oris maxumè jejunis,  
interdum & vomitus, interdum pravorum ciborum appetitus:  
cibo sumpto sequitur levamè, licet postea in ejus distributione, im-  
primis si laborans intempèstivè moveatur, aut irà concitetur,  
vehementi, malum rursus redeat: nonnunquam cruditates  
praecedunt & flatus, ægerq; læditur magis vel minus, prout ejus  
intemperantia aut continentia fuerit in victu: Quibus sese socia-  
re solet cordis palpitatio, propter consensum, qui officio ven-  
triculi maximus cum illo intercedit, docente Aëtio c. 7. tetra-  
bib. 2. ferm. 2.

35. Similiter si ex jecore vel splene, aut alià parte materia  
huic malo suggeratur, signa id monstrantia, & cujusq; membri  
peculiaris elucebunt: veluti ab utero enatam vertiginem præces-  
sit ejus suffocatio, vel dolor, vel mensium suppressio, vel inflam-  
matio, vel alius uteri proprius adfectus. Sic etiam dignoscitur an  
ab externis vel internis causis progrediatur, quod in hac motis  
primò spiritibus, qui in Cerebri sunt vètriculis, visivi qui in ocu-  
lis sunt, uno quodam veluti raptu moventur: In illà, à re ex-  
ternà circumactà visivis motis, animales in cerebro consecu-  
tione quadam, & propter *supra dictas* facilitatem ex dispositio-  
ne suscipientis circumferuntur.

36. Unde porro seu à quo humore ebulliat iste vapor, cujus-  
libet propria demonstrant indicia. Nam si est à *Sanguine*, faciei  
ac oculorum rubedo apparet, conspicuæ sunt in oculis venæ,  
pulsatio temporum & arteriarum pone aures cum calore & gra-  
vitate capitis, ac quadam in somnum propensione: Urina crassa  
ac rubra, interdum tenuis & clara ac perspicua, quæ sanguinem  
illum in caput confugisse monstrat: Insomnia, quæ sanguinem  
attestantur, spectra rubentis, dummodò criticæ perturbationis  
absit motus. Si à *Bile* seu fervido & acri spiritu, æstus molestus  
percipitur in capite, vigiliæ ferè sunt perpetuæ, sitis adest, color  
citrinus vel pallidus: Imagines oculis obversantur flavæ, præce-  
dit plerumq; nausea, oris amaritudo: urina tenuis & substa-



va, pulsus celeritas & durities, quæ omnia visuntur, ubi hepar fervidum est, inq; ventrem bilem rejecerit.

37. Si à *Pituitâ*, adest quoq; gravitas, somnus longus & profundus, memoriæ & sensuum hebetudo, albus faciei color & tumor, in ore quandoq; insipiditas, quandoq; verò salugo, inappetentia, sitis carentia. Spectra albicantia oculis objiciuntur, spuitio multa, urina alba ac cruda, ac vertigo diuturna cum pulsu raro & tardo. Si à *Melancholico succo*, vel ab atrâ bile, faciei color obscurus, urina tenuis ac pellucida, eructationes acidæ, altæ etiam & desixæ cogitationes hominem detinent cum timore & mortore, insomnia funesta, ac quæ ante oculos apparent, nigra sunt & tenebrosa. Quin & cujuslibet humoris peccantis abundantiam ipse habitus corporisq; temperies detegunt, ac diata: Et si plures humores adfuerint, secundum indolem istius qui cæteros superat, dantur signa magis vel minus, pro variâ eorum miscellâ, refracta & retusâ.

38. Quod si adfectio suborta sit per essentiam in capite, & accessio insuper succrescat ex occasione à subjectis membris sumptâ, ea difficilis cognitu est; cognoscitur autem, quod taliter adfecti, licet nonnunquam intervalla habeant sanitatis statui similima, frequenter tamen concidant, & propter morbosam capitis imbecillitatem, quæ externis causis resistere nequit, ex quavis ferè occasione lædantur.

39. Ex quibus probè exploratis Indicationes curativas & Agendorum scopos deducimus; & quidem primò diligenter notamus, an ab idiopathiâ Cerebri vel sympathiâ sit. Deindè, num jam paroxysmus fatiget, vel num potius ejus futuri adsit metus: ut enim primum curandum, ita ultimum præcavendum. Ratione ergo paroxysmi sopita vis erit excitanda & oppressa erigenda, ne in gravius malum degeneret. Quare ante usum Errhinorum divertendum, & quæ longè absunt partes fricandæ; ac si magna fuerit vertigo, balanis aut enematis acerrimis materiam supernè deorsum vocabimus. Si à pituitâ & flatu, alio vè humore capite cõgesto, curetur ut dolor capitis ex ijs. Si aliundè efferatur halitus in caput, is erit interceptendus, & revellendus, reprimendusq;.

40. Quod

40. Quod si metus adsit jamjam venturi halitus, solâ revul-  
sione opus erit, prohibendumq; ne aliundè irreat; dein cor-  
roboretur caput, ne recipiat iniquam hospitem. Arcebitur  
adscensum halituum, si prohibuerimus eorum ortum. Ubi à  
fervido in arterijs vel venis sanguine, is reprimendus, vel si per  
externa vasa importetur, & expediat, arterio-vel phlebotomiâ  
utemur. Si à crudo in ventriculo humore, hic coquatur: si à  
bile refusâ ab hepate in ventriculum, purgetur: sin à suppressis  
hæmorroidibus vel mensibus aliâve evacuatione solemni inter-  
missâ, hæc evocentur: insuper commoti spiritus sedentur, vapo-  
res evacuentur, revellantur, alterentur, reprimantur, roboratâ  
tandem parte. Quæ à foris est remedij non eget, sed si externa  
internam concitans, curationem petet, idq; confecerimus ex-  
actâ eâ quæ à foris venit. Quibus indicationibus an satisfacere  
liceat, nunc porro videamus.

41. Observandum itaq; ad prognosin faciendam, illam, quæ  
per consensum partium inferiorum fit, docente Coelio Aurelia-  
no, saluti esse innoxiam, hoc est, sine ullo periculo, nisi quis ex  
alto cadens, ratione casus potius, quàm passionis violentiâ adfi-  
ciatur: E contra quæ primario capitis vicio accidit, reddi cala-  
mitosam, si diutius perseveret, quod capitis tandem perdat po-  
tentias. Tenebrosa item Vertigo periculosior est simplice, quia  
angustissimi sinus cerebri est argumentum, proximeq; abest ab  
Epilepsiâ & Apoplexiâ, quarum prænuncia esse solet, imprimis  
si in cerebro localem habeat generationem, vel gignatur à flatu  
crassioris humoris.

42. Quæ magnis & diuturnis capitis doloribus succedit, pe-  
riculosa, quia languescentem & effoetam vim cerebri ostendit,  
ut ait Aretæus c. 3. lib. 1. Contra si capitis vertigini succedit do-  
lor, bonum: ostendit enim istam adfectionem in dolorem com-  
migrasse, qui paulatim attrahens sanguinem ac spiritum cere-  
brum calefacit, & consequenter vapores, vertiginis causam, ut  
exponit Gradius, discutit. Cautos tamen nos in hac prognosi esse  
oportet, quod nonnunquam sorditatis præludium esse, aut  
ipsam arcessere visus sit.

43. Vertigines ab humoribus calidis citius terminantur quàm

à frigidis : quod isti citius agant & ad judicationem perveniant ;  
frigidi vero lentorem habentes longiore temporis spacio judi-  
centur, ut passim dixit Gal. quin quæ in frigidâ cerebri intemperie  
gignitur Vertigo, magnam cum Epilepsiâ vel Apoplexiâ habet  
cognitionem Gal. ad aph. 17. sect. 3.

44. Austrinæ constitutiones vertiginem inferunt Hipp. 17.  
aph. 3. estq; ea maximè familiaris senibus, aph. 31. lib. 3. quod ijs  
frigidum sit cerebrum, quodq; superfluant cruditatum copiâ :  
Hyeme quoq; ob pituitæ proventum frequens est, & vehemen-  
tior, quàm veris initio, unde & gignitur in ociosis crapulâq;  
deditis, Gal. aph. 23. lib. 3.

45. Recens Vertigo, quantum ex sese, caret periculo; vetu-  
sta non caret prorsus periculo, non quidem quod ipsa lethalis  
sit, sed quia perseverans, nisi præveniatur, converti solet in ali-  
quem morbum exitialem. Sic quæ sit à pituitâ, in Epilepsiam,  
& Apoplexiam, à bile in phrenitidem, à melancholiâ in furores  
& in maniacas adfectiones desinit. Quò respiciens Gal. ad sent.  
42. sect. 4. lib. de vict. acut. docuit vertiginem non esse ex toto  
periculi expertem, sed medium tenere inter adfectus salutes &  
lethales, utpote quæ non omninò victam, nec omninò vincen-  
tem, monstrat naturam.

46. Quæ evenit à Suppressione consuetarum vacuationum,  
minus quidem est funesta, sed tamen penitus negligi non debet,  
maximè si contingit, hæmorrhoidibus præter rationem suppres-  
sis, quorsum respexit Hipp. in Coacis 346 prænot. inquiring:  
Ex hæmorrhoidibus parum fluente vertigines provenientes, par-  
vam, & quæ paullatim fiat, siderationem significant, quam phle-  
botomia solvit. Ut enim hæmorrhoides liberè & liberaliter flu-  
entes Epilepsiam, melancholiam, phrenitidem, ulcera maligna,  
Vertigines sanant, & ne fiant inhibent: ita si consuetæ sup-  
primantur, eadem mala possunt invehere. Hip. sent. 28. sect. 3.  
lib. 6. Epid.

47. Quæ adfecto citra febrem ventriculo cum cardiogmo  
& oris amarore oritur, vomitu ægrum purgandum denunciat,  
aph. 17. lib. 4. Si autem febricitanti superveniat; aut est sympto-  
matica, quæ sit vi morbi vel summo pulmonum & cordis æstu:  
aut

aut Critica, quæ vi naturæ morbum expugnantis in critica perturbatione, circa statum, apparentibus coctionis signis accidit: aut Media, quæ protinus ab initio contingit à perturbatione commoti in venâ spiritus & sanguinis: Hæc ut solvitur narium hæmorrhagiâ Coac. prænot. 341. ita in illâ nihil agendum, sed naturæ, si rectè agit, motus expectandus: prima, perniciem intentat, Coac. 106.

48. Antequam verò medicamenta adhibeantur considerandum, num ab externâ causâ tantùm vel internâ, aut ab utraq; simul, item num per consensum facta sit, vel per primigeniam in capite adfectionem. Si à causâ externâ tantum spirituum in Cerebro fiat agitatio, ob motum corporis aut animi, nullâ intrinsecus aliâ concurrente causâ, illa cessante causâ sponte cessat, citiusq; si contrario motu facti spiritus reducantur & sistantur: ut si ex circumactu corporis in dextrum latus vel sinistrum vertigo excitata sit, opposito in sinistrum vel dextrum latus motu, ea cessat: In quâ & supinus decubitus juvat, qui tamen si ab interna causâ vertigo procedat, aut ex ebrietate, eam magis proritat: si ne sic quidem desinat, frictiones extremitatum profunt, vel somnus superveniens eam aufert. Quod si verò ab internâ causâ oriatur, tunc humores, qui vel in Ventriculo, vel venis mesaraicis, circa lienem, epas, uterum, aut in habitu corporis alicubi & ipso nonnunquam capite contineatur, expurgandi, & unâ cum vaporibus inde sursum delatis divertendi erunt per sanguinis detractionem, scarificationes, & frictiones, cauteria item, vomitus, & purgantia. Ad quæ auxilia & dextrè recurrendum, si utraq; causâ fecerit malum.

49. Quod si adfectus per consensum existat, undè consensus demandetur notandum, ut tum juxta naturam partis adfectæ, tum adfectionis, quam patitur, curatio instituat; sin alter res & necessitas postulat, accessioni providendum. Quod si deniq; fuerit primigenia, dignoscendum, an sit intemperies frigida vel calida: Utriq; per convenientia pharmaca obviam eatur, & peccantium humorum copia alternatim præparetur, & expurgetur; quin & totius rectè peractâ, curâ Topica ne negligantur.

gantur, quæ vapores repellant, discutiant, & cerebrum quoq̃; ne denuò eos suscipiat, roborent, uti inferius monebimus.

50. Cæterum duplex à Medicis curandæ Vertiginis datur ratio, quarum una in ipso adhibetur paroxysmo, altera extrinsecum. In ipso paroxysmo, & jam hominem si molestat vertigo, studium omne ad symptoma convertendum, tumq̃; usurpanda avertentia, revellentia, roborantia. Et quia Vertigo est spirituum circumactio, quies statim imperetur & silentium, æger obscuriore loco & aëre contineatur, lux enim spiritus exagitat & commovet. Inungatur pars antica capitis oxyrhodino, ut somnus concilietur, & spiritus agitati quiescant.

51. Sin effectrix causa adest, ea perquirenda, quæ si externa fuerit, ut corporis circumacti aspectus, ab eo removeatur æger, & statim supinus collocetur, neq̃; oculos in rem aliquam diutius defixos contineat: sin interna, illa clystere ex emollientibus & cephalicis, eoq̃; si alvus non responderit, fortiore, vel & glande ex melle & hyerâ diacolocynth. cum sale acri avertatur: Vinciantur artus, ineanturq̃; frictions supernæ deorsum usq̃; ad pedes satis asperæ. Rhases jubet ægrum radices Acori mandere & masticare, & ejus in hoc adfectu vim mirabilem prædicat. Masticatoria & sternutatoria decenter adhibita per os ac nares, tanquam viam pituitæ expurgandæ destinata, istam à cerebro derivant, & prosunt imprimis si serosus & pituitosus in illo fluctet humor. Commendantur etiam suffitus ex gran. Juniperi & similibus, quo conclavia potius & cucuphæ quàm nares aut caput repleri debent: fumus enim sæpè vertiginem movet, & visui nocet. Conveniunt odores animales spiritus recreantes, & turbulentos horum motus sistentes, in frigidâ moschus, ambra, nigella, majorana, in calidâ Santala, caphura, rosa, singula in suo genere cum pauco aceto. Aretæus ex Aceto mentham & pulegium: Dioscor. Galbanum Vertiginosorum accessione tollere scribit. Marcell. Empir. Misy B r. diligenter terit, inq̃; aceto acri macerat, & ita maceratum instar emplasmatis temporibus, nec non post aures apponit: expertum quoq̃; dicit remedium, si ulmi folia vel & hederæ contrita capiti admoveantur, vel etiam ijs tritis, tota frons triduum

notu

noctu dieq; cingatur, Idem Cochleas majores comestas valde probat. Sunt qui appensam cristallum plurimum valere asserunt, atq; ex poculo inde parato ejusdem utilitatis gratia bibunt, aut poculis cristallum immergunt. Sextus philosophus Platon. & ex eo Quercetan. scribunt Pavonis (masculi, si ager masculus, femina, si femina) simum potatum Vertiginosos sanasse: dissolvi autem debet cum aq. Betonic. aut alia congrua. Quidam magno experimento abrotani decoctum in vino tepidum cum oxymelite exhibent. Et rectissime omnibus istis remedijs adduntur Sem. Pæon. rad. ejusdem, viscus querc. liliū couvall. & id genus plura, quæ Epilepticis peculiariter prodesse scimus.

52. Quercetanus commendat aquam Theriacalem, Antepilept. Reusner. liquorem moschi, cui S. V. superfundit, panique inclusum in furno solvit, post spiritum Vini in B. evocat, dosis 4. aut 5. guttar. an Malvat. Crollius Sal succini diaphoret. item ial margarit. orientali. Bals. antapoplect. & ex signaturâ convenire docet adipem damarum ac serpentum temporibus illitum: quomodo & betæ nigrae succum usurpant: Laudatur & quinta essentia ciconiarum cum vino vel hydromelite hausta. Pulvis etiam ex vermiculo faciente sericum exsiccato, inq; pollinem tenuissimū redacto, capitis vertici inspersus, illud indicibili efficaciam firmare, ipsumq; paroxysmum illico sedare comperitū fuit; unde & eo summus quidam imperator frequentissimè usus perhibetur, Mercurial. in Consil.

53. Extra paroxysmum prospiciatur ne redeat, quod obtinebimus causas effectrices vertiginis, qualescunq; istæ fuerint, removendo & emendando. Ad quam rem imprimis necessaria est diligens & convenienter instituta victus ratio. Aër itaq; eligatur temperatus, purus, lucidus, tenuis: crassus, nebulosus, caliginosus, & maxime nocturnus fugiendus, quod eo animales spiritus inquinentur & obscurentur: noxia quoq; est austrina tempestas, sive æstuosa sit, quia liquat humores, sive pluviosa: Solis, & lunæ radij maxime fugiendi: Illi enim suo calore attenuant & commovent; hi vaporibus augent cerebrum & animales spiritus contaminant. Rerum quæ aut celeri motu rapiuntur, ut decurrentis fluminis; aut circumaguntur, ut rotarum, trochorum, aut quæ suo splendore oculorum aciem perstringunt, vel & alium sunt demersæ, aspectus fugiendus: deniq;

C

cla-

clamores, contentiones, & vehementiores soni ac cantus, quibus aer commoveretur, & commotus spiritum intus concitat, devitanda.

54. Cibi sint copia pauci, aut saltem moderari, substantiis laudabiles seu boni succi & cocti faciles, minimè flatuosi, ventriculo commodi, & sapore grati, neque caput ipsum male adficientes. Satietas etiam non minus quam fames vitanda. Panis sit fermentatus, benè subactus, & paucò aniso vel feniculo, item carvo ac mace conditus: vel & dum subigitur, illi Zinziber, Caryophylli contusa, adfusâ aq. vitæ addantur, quod Paracel. valdè probavit. Noxij sunt evaporantes cibi omnes, & qui in ventriculo facilè putrescunt: vitetur lacticia, pastilla & quæ in sartagine friguntur, phaseoli itè fabæ ac lécies: laudantur pisces saxatiles & fluviatiles, nocent viscosi, lacustres & palustres, præsertim illi, qui sunt majores. Conveniunt carnes pullorum, gallinarum, caponû, perdicum, turdorum, capreolorum, vitulor. pipion. juvencul. & ut Aretæus monet, expinguibus non pingues. Iuscula etiam iusto plus sumta, nisi aniso aut feniculo condiantur non admodum profunt. Raphanus damnatur, uti & Castaneæ, nuces juglandes pariterq; avellana, alijsq; fructus recentes & acetaria cruda, quavis interdum in cholericis lactuca, cichorium & Acetosa permittantur, sicuti & granat. limon. ribes, cerasa, uvæ & cucurbita.

55. Potus sit cerevisia benè cocta & defacata, parum lupuli habens, utpote qui valdè caput replet: vinum sit naturâ dulce, quod imbecillum caput non feriat, nec internos nervos subeat, ejus loco & hydromel Lituanicum, vel decoctum Anisi & cinanomi bibi potest. Mustum uti & Cerevisia cruda ac recens non parum nocent: operæ etiam precium est in cerevisiâ bonâ suspendere nodulum ex cumino. Interprandium & coenam nihil bibatur; proinde utilissimum erit à cibo exhibere quæ vim habent adstringendæ oris ventriculi, ne sursum efferantur vapores, quale est Cytoniatum, vel malum cotoneum coctum & saccharo conspersum: item caseus optimus mediocriter salitus, nec admodum vetus: Coriandrum preparat. cum Aniso, corall. & sem. præoniæ; quamobrem & Mastichis vel olibani electi grana aliquot cubitum ituris deglutienda dantur.

56. Somnus sit moderatus tribus ad minimum horis à cibo, loco non admodum calido: uti enim vigiliæ deficeant, & spiritus attenuando eosdem concitant; ita largus somnus crudita-

tum.

tum ac vaporum proventum facit: meridianus seu diurnus esse  
inocentissimus: In decubitu reperiuntur qui cervicali altiore,  
alij nullo utendum suadent; nos ægri consuetudinem observan-  
dam, & ad quem ille integrâ valetudine præditus assuetus fuit  
positum, optimum autumamus, Coac. prænot. 497.

57. Vitentur omnes quæ declivi capite, aut hoc multum agi-  
tato fiunt motiones; nec profunt artes in quibus faciendis ne-  
cesse est demissos habere oculos: moderatè tamen & antè pa-  
stum, cavendo morum in gyrum, exerceatur corpus levi ambu-  
latione in longâ porticu, ne istam frequentius repetendo quasi  
circumagatur: quin & si hoc fieri non possit, instituantur linteis  
asperioribus frictions crurum, uti & dorsi ac laterum,  
principiò sat lenes, deinde duriores, sensim augendo,  
& à supernis ad infernas ducendo: caput purpurâ in-  
duatur, neq; multo tegamentis, ne nimium caleat, operiatur,  
eritque ex re ægri illud interdum ante cibum panno novo  
non multum calefacto, quod alioqui fieri assolet, ne vapores  
istuc trahantur, fricare, vel & pectine scalpere, imprimis quum  
reliqua aversionum genera præcesserunt. Ligaturis quo-  
que, si à parte aliquâ prodeat vapor, ne ascendant, im-  
pediri potest. Confert insuper decocto pulegij & calendulæ  
bis in hebdomade abluere crura, jejuno ventre, vel & simile pe-  
diluvium admittere: ac quia per balneum maximè à capite  
fiunt diversiones, nonnunquam illud quoq; ingrediatur æger,  
inque eo totus usq; ad collum immergatur, præsertim si à bile &  
melancholiâ adfectus exciteretur. Quod si in balneo caput plus  
justo incaluerit, aut ægri eo sint calidiore, oxyrhodino aut rosa-  
ceo perfundatur, præsertim circa sinciput, frontem ac tempora,  
& paulatim refrigeretur.

58. Optanda deniq; vita ab animi perturbationibus immunis,  
utpote quibus moventur spiritus & humores fervent, atq; & hi  
& illi impetu sursum feruntur, qualis est ira, moeror & timor:  
quibus & nimia illa ac assidua per studia & vigiliis mentis agita-  
tio adnumeratur.

59. In Educendis hoc agatur, ut qui ab his diutius suppressis  
ascendunt vapores, deorsum revellantur. Quare nisi sponte  
suâ fluit alvus, fiat lubrica, vel leni aliquo medicamento, vel in-  
jecto clystere, aut alijs convenientibus; in quem usum clarerum  
C 2 vel



vel vinū purgans exhiberi pōtest, quomodo amara administrata non adeo sunt ingrata.

60. Instituto victu deinceps cogitandum à quonam humore vertigo, sive sit essentialis, sive per consensum, enascatur. Ea si à sanguine, vel humoribus à sanguinis naturā non multum recedentibus contingit, venæsectionem desiderat: sin ab alijs à sanguinis indole plurimum dissidentibus, Purgationem.

61. Purgatio sit moderata, neq; ventriculum fatiget nimium, eaq; habitū ratione constitutionis corporis ægri, biliosis, acribus, impurisq; humoribus, à quibus vapores, qui subtiles sunt, elevantur, potius quam pituitæ: expurgandæ accommodetur, semper observando, ut materia suo lentore contumacior aut fervore ferocior congruis medijs præparetur. Scribonius hieram commendat: Illā namq; aut ex toto remedium datur, aut certè cotidiè minuitur. impetus vicij, vel intervalla majora accipit, quin & sunt ægri oportuniore ad Ellebori potionē, quā maximè parato jã corpore, hoc malū tollitur, uti ab antiquis & Aretæo docetur, & extat 2 Met. prax. Heur. innocui extracti ejusdē præparatio.

62. Vomitus quoq; si ægro facilis sit, ac familiaris, inq; ventriculo aut venis mesaraicis materia vapores gignens luxuriet, non improbat; primò tamen levioribus, & si materia restagneat adhuc, fortioribus, ijsq; iterum repetitis concitandus, qualia sunt Gilla Theophr. Emetic. Querc. fl. butyri antimoniij, & crocus metallorum; quo tempore fasciā caput & oculos stringere oportet ut minus lædantur.

63. Vena seceatur si plethora adest, in ætate firmā, inquit Aëtius, ex Archigenis sententiā, non tantum si alicubi in sanguine fomes mali lateat, verum etiam si in capite ille vel copiosior, vel fervidior redundet, causamq; vertigini præbeat. Vulsusculum verò non sit valde amplum, propter vires, ne spiritus simul evolent: deinde neq; seceatur sedentes sed decumbentes, quod faciliè possint corructe. Copiosior insuper erit sanguinis missio, malo ab ejus copia exorto, sicuti à fervore parciore, cavendo tamen ne acervatim evacuetur, sed pluribus vicibus, & quibusdam interpositis intervallis, undè quidam volunt minores potius quam majores venas sumendas. Et author est Rhases, si facies & oculi rubent, ac venæ ponè aures turgent, eas pertundendas: Sin toto corpore redundet sanguis, primò cubiti,

biti, dein aurium feriendas, collineando nihilominus ad suppressam evacuationem; velut si circa uteri venas causa vapores sursum demandans lateat, primò pedis, deinde cubiti vena aperiatur: ita si hæmorrhoides. Deniq; & scarificationes in colli lateribus, scapulis, adhibitis nonnunquam cucurbitulis, sive in capite causa sit, sive aliunde per vapores sursum feratur, profunt, & peculiare in Vertiginæ censetur auxilium, scarificatio in carpi regione, vel manus eâ sedè externâ, quæ est inter pollicem & indicem, qualis & in extremitatibus, si inde aura ascendere sentiatur, eo loco unde primùm exsurgere cognoscitur, facta, competit. Sic & in graviore malo, quodq; alijs remedijs obtemperare recusat, frontis & temporum venas, ut & illas, quæ sub linguâ sunt, ubi repleti capitis notæ elucent, aperire licet.

64. Prisci arteriarum sectionem post aures vehementer commendarunt, quod ita intercipiatur, quicquid à toto corpore, aut ab aliquâ ejus parte ad cerebrum transmittitur. Sed hoc præsidium aliàs profuisse ac multos liberasse, aliàs minimè contulisse scripsit Gal. c. 8. lib. 3. loc. adf. 6. de tuend. sanit. 9. Et fortassis non temerè tentandû, cum in istarum sectione pauci reperiantur exercitati Chirurgi, ne quid addam de sterilitatis periculo, quam inde induci docuit Hippocr. lib. de genitur. & ex eo repetijt Langius epist. 10. lib. 1. Tutius multò & rectius vesicatorium post aures admovetur, vel & earum scarificatio, quam quidam in omni vertiginis causâ attentant, instituitur. Sunt & qui, quoties per venas aut arterias exteriores vapor sensibilibiter effertur, ijs reprimentia & astringentia apponunt, quæ varia quidem sed moderatè adhibenda, ne alius frigidus morbus extinctione caloris nativi accersatur.

65. Mitigat etiam sanguinem calidiorum aut biliosum, Emulsio seminum psyllij, cum aquis Endiv. & rosar. facta adjecto saccharo, quotidie manè exhibita, vel & syrup. de succo cucurbitæ majoris decenter administratus, qui & vehementem febrium ardorem extinguit efficacissimè, gutturis asperitatem, calidamq; & siccam expirationem per febres ardentes lenit & emendat. Paratur coquendo cucurbitam magnam mazâ involutam in elibano: Ejus expressi succi lib. viij. cum lib. iij vel iiij sacchari rediguntur in syrup.

66. Quod si aquei, serosi, & pituitosi humores sua repletionem vertiginem inducant, idque flatibus & fluctuatione ostendant, primo istos convenientibus auxilijs auferre conabimur, nimirum [evacuando, revellendo, &] derivando: deinde cerebrum, quod illos generat, & ab illis rursus humectatur & refrigeratur calefaciendo, illudque nervis arterijsque appropriatis roborando, & simul causam, ne de novo generetur aut foveatur, impediendo, quod & remedijs intro forisque saepe & per vices adhibitis, ipsaque vivendi ratione praestatur.

67. Commendatur in quotidiano usu Essent. fl. anthos, Majoran. Aq. cinam. Cephal. vel & quae ex verben. Euphras. Rut. Majoran. Camaphyth. an unc. sem. fenic. drach. 2. Cinam. unc. s. cum vino Malvatico destillatur, sumendo illius cochlear unum, & cum saccharo, ut magis grata sit, dulcorando. Laudatur, item Paracelsi Elixir proprietatis, Bals. antapopl. Craton. ejusque compositio ex cinabrio minerali; semen item carui ter quaterque circa vesperam in Aceto semper renovato infusum & tota nocte maceratum, totiesque rursus mane exsiccatum, si sumatur horis matutinis, quantum tribus digitis attollere licet. Sequentes quoque Rotulae suas merentur laudes, Rec. sp. diamosch. diamb. an dr. i. succin. praepar. scr. ij. ol. anis. gutt. 3. sacc. in aq. fl. lavend. sol. unc. iij. vel R. cubeb. Gran. praeron. Salviae, coriand. praepar. cinam. Nucis mosch. an dr. i. succini praepar. dr. s. sac. in aq. praoniae dissol. f. Morsuli quibus adfricetur ol. Anisi. Cerebrum etiam & sensuum instrumenta roborat bis tervè in septimanam particula nucis moschat. condit. item Zinzib. condit. & simil. sumpta: Prodest item confer. fl. anthos saly. aurantior. item Theriaca cum diambra, vel Mithridat. aut aurea Alexandr. saepe vel seorsim, vel mixta, inque formam electuarij redacta ad dr. s. superbibendo aq. Cephalicam exhibetur.

68. Topica suis quoque digna laudibus, & possunt cucuphis insui quae cerebrum roborant, & vapores discutunt. In quem finem & pul. aromatici ad ingressum levi capillis super coronalem commissuram insperguntur, & mane vicissim pectine excutiantur. Sunt & qui caput herbis cephalicis, quae humores absorbere, vel alterare queunt, sacculo interfutis, inque vino aut decocto appropriato madefactis foveant, & a foru caput illinunt oleo conveniente, in quem usum & sequens liquor fide dignorum experientia efficaciss.

ess. commendatur. R. ol. olivar. antiq. vini Malvat. an lib. s.  
ligni aloës unc. s. cubeb. cardam. Macis, caryophyll. an. dr. 3.  
fi. Sclarez, Salvia, Anthos an. m. j. sem. Anisi, fœnic. contus.  
an. unc. s. Theriac. veter. dr. 6. Misc. & in vase vitreo diligenter  
obturato remaneant triduum sub fimo equino, & arte chymicâ  
destillentur, manebunt tres liquores colore distincti, quorum  
primo caput quotidie perfricetur, secundo cum exigua portio-  
ne tertij ungantur suturæ ac vicinæ partes, quod & tertio fieri  
potest, sed præmissis universalibus ac capitis purgatione.

69. Non aliter si cerebro communicetur mala qualitas ex  
jejunio & vigilijs, oboriaturq; vertigo, proderit horas somni  
decentes complere, & quotidie jentare, quod post Platerum  
non semel & ipse observavi profuisse: vel & agrestia aut vino  
granatorum intinctus panis, uti & crusta ejus vino generose  
immersa mane sumatur. In quo casu, uti & quum aliarum in-  
ferioris ventris partium, Mesenterij, Lienis, Uteri, &c.  
*supradicta* vertigo enascitur, utiliter à pascu eduntur, quæ va-  
pores caput petentes reprimere nata sunt, ubiq; tamen lege istâ  
observatâ, ut *Regimons* & ad mittentem partem, & ad recipien-  
tem dirigatur, tum in evacuando, revellendo, derivando, tum  
in corroborando: Ita in compressione cerebri ex cranij contu-  
sione, aut fracturâ, Chirurgiæ opera requiritur.

70. Quibus ita dextrè adhibitis, si malum refractarium ce-  
dere recuset, sunt qui ad sarsæ pariglia, & Guajac. decoctum pro-  
grediuntur, ejusq; usum horis matutinis, additis interdum Ce-  
phalicis nonnullis, & si necessum fuerit, interposito Cathartico  
ad D. xv. xx. vel plures continuant. Alij perseverante malo ad  
cauterium eundem censent, idq; vel occipiti, inter secundam  
& tertiam vertebra, vel suturæ coronali imponunt: alij loco  
cauterij cucurbitulas vertici applicant, alij occipitio cum scarifi-  
catione adfigunt: Quidam puncturam in cervicis cute factam  
probant, ac per eam chordam, quam setonem vocant, trajciunt.  
Reperiuntur qui in locali vertigine fontanellam brachij, & si  
ab utero, aut suppressis hæmorrhoidibus existat, pedibus appli-  
cant, ut per eam natura transmittat, quod molestias parit.

Quæ omnia Medici præsentis industriæ peragenda  
relinquimus;

PRO

# P R O B L E M A T A

## Δ Ι Ν Ο Λ Ο Γ Ι Α Ν illustrantia.

I. Cur post motionem in gyrum, quiescente homine, immotoq; capite, spiritus adhuc in cerebro agitur, inq; orbem movetur? R. Corpus & caput, uti solidaq; voluntatis imperio statim quiescere & firmari: at humores & spiritus instabiles sunt, semelq; conceptio motionis principio non prius quiescunt, quam paulatim motionem remiserunt: Sic vase moto aqua inibi contenta movetur, nec consistit aut quiescit protenus cum illo.


II. Cur qui in orbem rotantur patiuntur vertiginem, neq; se firmare valent, sed nisi aliquo admiculo sustineantur, tandem ruunt? R. Quia animali facultate in nervos & musculos per vectorem spiritum illapsa corpus sustinetur & firmatur, qua desit utis nervis & musculis, vel ejus inopia laborantibus corpus aut vacillat, aut concidit: Atqui spiritu in gyrum moto, ac circumacto capite, impetus recta delationis per nervos in musculos impeditur; quam ob causam videndi facultate non amplius a cerebro in oculos influente tenebra etiam offunduntur. Explicat hanc questionem suo quoq; modo Macrobius Saturnalis. lib. 7. c. 9.

III. Cur vertiginoso res externe revera quiescentes in orbem moveri videntur? Resp. animalibus spiritibus in cerebro motis, consecutione quadam moventur qui sunt in oculis, hisq; motis rerum objectarum imagines circumvolvi apparent. Motione ergo interna istarum imaginum decepta imaginatio judicat externa moveri; quod & illustravit Cassius probl. 27. inquit: Uti læericis, quibus flavo colore tincti sunt oculi, qua foris sunt, apparent auriginosa: sic vertiginosi, in quorum oculis circumaguntur spiritus, secundum hanc adfectionem quoq; adsciuntur, & res externas, qua revera quiescunt, in orbem moveri autumant.


IV. Cur errat visio & sit caliginosa, si vertiginoso oculus bene valet, ipsaq; medium & objectum recte sunt constituta? R. vicium esse in cristalloide, precipua oculi parte, qua propter turbulentum istum spirituum motum in cerebro non illustratur visio lumine & facultate videndi.

V. Qui sit ut nonnulli sedentes inter surgendum fiant magis vertiginosi? R. a cerebri hoc dependere infirmitate & spirituum collectione ac dispersione: progrediente enim vertiginoso spiritus & humor per cerebri corpus paulatim nullaq; vi dispergitur, & in gyrum neuter converti potest: Eodem autem sedente & quieto, & mox decerpente assurgente, uterq; movetur, quod illustrat Aristot. probl. 4. sect. 6. exemplo ab obis sumto, qua cruda non moventur humore in unam partem delabente: at cocta convertuntur, eodem equaliter caloris beneficio diffuso.


VI. Cur rotarum & rerum earum qua circumaguntur inspectio vertiginem accersit? R. Spiritus visorios in circumactum objectum defixi intuentes simul circumagi, & accedente vi efficientis ad infirmitatem suscipientis vertiginem produci.
















eiff. commendatur. R. ol. olivar. antiq. vini Malva  
ligni aloës unc. s. cubebar. cardam. Macis, caryoph  
fi. Sclarea, Salvia, Anthos an. m. j. sem. Anisi, fo  
an. unc. s. Theriac. veter. dr. 6. Misc. & in vase vitreo  
obturato remaneant triduum sub fimo equino, & a  
destillentur, manabunt tres liquores colore distincti  
primo caput quotidie perfricetur, secundo cum ex  
ne tertij ungantur futuræ ac vicinæ partes, quod  
potest, sed præmissis universalibus ac capitis purga

69. Non aliter si cerebro communicetur mala  
jejunio & vigilijs, oboriaturq; vertigo, proderit  
decentes complere, & quotidie jentare, quod pos  
non semel & ipse observavi profuisse: vel & agr  
granatorum intinctus panis, uti & crusta ejus vi  
immersa mane sumatur. In quo casu, uti & quum  
ferioris ventris partium, Mesenterij, Lienis,  
*supra dicitur* vertigo enascitur, utiliter à pascu edunt  
pores caput petentes reprimere nata sunt, ubiq; ta  
observatâ, ut *Regimuris* & ad mittentem partem, &  
tem dirigatur, tum in evacuando, revellendo, den  
ia corroborando: Ita in compressione cerebri ex o  
sione, aut fracturâ, Chirurgiæ opera requiritur.

70. Quibus ita dextrè adhibitis, si malum refr  
dere recuset, sunt qui ad sarsæ pariglîæ, & Guajac. de  
grediuntur, ejusq; usum horis matutinis, additis i  
phalicis nonnullis, & si necessum fuerit, interposit  
ad D. xv. xx. vel plures continuant. Alij persever  
cauterium eundem censent, idq; vel occipiti, inte  
& tertiam vertebra, vel futuræ coronali imponu  
cauterij cucurbitulas vertici applicant, alij occipiti  
eatione adfigunt: Quidam puncturam in cervicis  
probant, ac per eam chordam, quam setonem vocant  
Reperiuntur qui in locali vertigine fontanellam b  
ab utero, aut suppressis hæmorrhoidibus existat, p

cant, ut per eam natura transmittat, quod mol  
Quæ omnia Medici præsentis industriæ pera  
relinquimus;

